

num corporis exercetur. Hinc sit, ut, laeso cerebro, actiones phantasiae aut perturbentur, aut omnino cessent, et vicissim ex nimia, et longa phantasiae exercitacione cerebrum defatigetur.

80. Prop. 2^a. *Res sensiles ad phantasiam per quantitatem proprie referuntur.*

Probatur. Non possumus aliquid imaginari, nisi quatenus aliqua figura induitur; quod quidem constat tum ab experientia, tum ab ipsa significatione vocum phantasmatis, ac imaginis. At qui figura ad quantitatem corporis pertinet. Ergo res sensiles ad phantasiam per quantitatem *proprie*, et *per se* referuntur. Diximus autem *proprie*, et *per se*, nam qualitates rerum sensuum etiam ad phantasiam pertinent, *ex consequenti* tamen, et *per accidens*. Etenim, cum qualitates sensiles a quantitate seungi nequeant, sequitur phantasmam eo ipso, quod fertur in quantitatem, ferri etiam in qualitates rerum sensuum.

81. Prop. 3.^b *Phantasia sine sensibus propriis, et sensu communi exerceri nequit.*

Probatur. Phantasia versatur circa obiectum, non prout in se est, sed prout in anima existit, quia phantasma, sive obiectum phantasiae est repraesentatio obiecti sensibilis facta in anima. At qui obiectum sensibile existit in anima, prout sensibus apprehensum est. Ergo actio phantasiae sine actione sensuum existere nequit^c. Experientia idem confirmat; compertum enim est quemquam sensu aliquo carentem nihil posse imaginari de sensibus, quae illius sensus propria sunt; e. g., nec caecus colorum, nec surdus sonorum ullas imagines habent.

82. Quod si cum Garnierio^d obiiciatur nos multa imaginari, quae nullo sensu fuerunt a nobis apprehensa, e. g., montem aureum, in promptu s. Thomae responsio est. Etsi phantasma rei, quam ante non perceperimus, sit novum secundum speciem totius, tamen non est novum secundum partes, ex quibus componitur. Ita species montis aurei est nobis nova, sed non sunt novae duae species montis, et auri, ex quibus unica illa montis aurei species existit^e.

83. Duo denique circa phantasiam explicanda nobis sunt: 1^f

¹ Cf s. Aug., *De vera Relig.*, c. 10.

² Op. cit., c. 3, sect. 4, et c. 8, sect. 1.

³ Qq. disp., *De Malo*, q. XVI, a. 11 ad 9.

Quid sit, quod interdum per phantasiam non imaginem obiecti, sed ipsum obiectum repraesentare nobis videamur,^g quomodo fiat, ut phantasia ex imaginibus rerum, quas ex sensibus hau-sit, novas imagines efformet.

84. Quod attinet ad primum, praemonendum est iudicio intellectus opus esse, ut cognoscamus utrum, necne res, quas imaginamur, reales sint. Quare quidquid impedit, quominus intellectus iudicium illad exerceat, in causa est, quamobrem non imagines rerum, sed res ipsas nobis repraesentare videamur. Iam huiusmodi impedimentum evenire quit tum ex parte animae, tum ex parte corporis. Ex parte animae evenit, quoties ipsa in phantasmate configendo omnem vim suam intendit; si quidem, ut alibi diximus^h, anima, quoties omnem vim suam in alicuius facultatis exercitationem intendit, reliquas facultates exercere non potest. Quapropter, quoties anima, ob vehementem aliquam affectionem, totam vim suam in imaginem obiecti convertit, intellectus non potest iudicium adhibere, ut distinguere valeat imaginem ab ipsa re, quam repraesental. Ex parte corporis autem idem evenit, quia vel ob soporem sensuum, uti fit in somniis, vel ob morbum aliquem corporis, uti in aegris et phreneticis, actio intellectus impediturⁱ.

85. Quod ad alterum spectat, phantasia, ut diximus, species sensuum retinet; ipsa autem, etsi non possit ad actum reduci, nisi a sensu moveatur, tamen, postquam ab eo mota est, potest ex se sola aliquid agere, quia in somniis, immo interdum in ipsa vigilia, cessante sensu, phantasia exercetur^j. Quos circa, si phantasia, imagines rerum in se retinet, eiusque actio cum actione sensuum non cessat, nihil certe impedit, quominus ipsa super imagines operetur, atque ex multis, variisque novas conficit, quibus nihil huiusmodi in rerum natura respondet.

ART. IX. *De Aestimativa, seu Cogitativa*

86. *Aestimativa* est illa facultas, qua in rebus sensilibus apprehendimus alias qualitates, quae per sensos externos nobis non innotescunt, e. g., illas esse nobis utiles, aut noxias. Vo-

¹ P. 102.

² Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. IX, c. 7, et *De Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 12.

³ Cf s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 4 c., et q. LXXXIV, a. 6 ad 2.

catur autem *aestimativa*, quia per illam *aestimamus*, seu iudicamus aliquid in rebus sensilibus esse, quod sensibus non apprehendimus.

87. Prop. *Aestimativa non est facultas intellectiva, sed sentiens.*

Probatur. Facultates, quae homini, atque belluis communes sunt, nonnisi sentientes esse possunt. Atqui *aestimativa communis* est etiam brutis; certum enim est ipsis inesse facultatem quadam de rebus sensilibus iudicia conficiendi, quibus ad vitiae conservationem opus illis est; e. g., ovis lupum inimicum, et canem amicum iudicat, atque inter plures foetus, qui obviam ipsi fiunt, erga proprios tenero matris affectu trahitur; avis paleas ad nidificandum accommodatas a ceteris discriminat¹. Ergo *aestimativa* est facultas sentiens.

88. Ut huius propositionis veritas magis perspiciatur, advertendum est quaedam iudicia particularia circa res singulares etiam ab intellectu effici. At vero haec iudicia intellectus diversae naturae sunt, ac illa, quae fiunt per *aestimativam*. Nam in iudiciis, quae fiunt per intellectum, proprietas, quae subiecto attribuitur, ab intellectu abstracte consideratur, et quid ipsa proprietas sit, cognoscitur; in iudiciis autem, quae fiunt per *aestimativam*, proprietas subiecto attribuitur, prout cum ipsa re singulari coniungitur; unde non quid ipsa proprietas sit, sed dumtaxat proprietatem inesse rei, quae sensibus obviam fit, cognoscitur. Igitur, si iudicia, quae efficiuntur ab *aestimativa*, sunt diversae naturae, ac illa, quae efformantur ab intellectu, *aestimativa* non est facultas intellectiva, sed sentiens.

89. At vero, etsi *aestimativa communis* sit hominibus, et belluis, tamen longe praestantior in homine est, quam in belluis, ex eo quod in homine cum ratione coniungitur, atque ipsis virtutem intellectivam quodammodo participat. Re quidem vera, potentiae ab essentia animae, alia per aliam, ita profluent, ut potentia superior quodammodo communicet virtutem suam cum potentia inferiori, proindeque actiones potentiae inferioris ad actiones potentiae superioris quodammodo accedant. Atqui *aestimativa* est suprema facultatum sentientium, et cum facultatibus intellectivis immediate coniungitur. Ergo *aestimativa* in homine

¹ Cf s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 27, et in *Psal. CXLVIII*, n. 3.

virtutis intellectivae est quodammodo particeps². Et hoc sit, ut *aestimativa* in homine iudicia conficiat ex quadam, licet imperfecta, terminorum comparatione, atque horum iudiciorum ope de rebus singularibus quodammodo ratiocinetur; non quidem prout est in se facultas sentiens, sed prout a ratione hujusmodi virtutem mutuatur; dum e contrario iudicia, quae bruta animalia ex vi suae *aestimativae* conficiunt, non ex quadam collatione, sed instinctu naturae ab eis fiunt. Hanc ob causam *aestimativa*, prout in homine existit, peculiare nomen *cogitativa*, sive *rationis particularis* habuit³.

ART. X. *De Memoria, et Reminiscentia*

90. *Memoria* est facultas reproducendi, et recognoscendi praeteritas cognitiones.

91. Prop. *Memoria, prout est quaedam specialis facultas, inter facultates sentientes adnumeranda est.*

Probatur. Proprium obiectum memoriae est praeteritum, prout praeteritum est. Hoc posito, praeteritum, prout est praeteritum, est obiectum sensile, non vero intelligibile, quia praeteritum, prout praeteritum est, significat aliquid tempus determinatum, dum e contrario intelligibile est indeterminatum, ac universale, proindeque extra omne tempus consideratur. Atqui natura facultatis ex obiecto, circa quod versatur, sumenda est. Ergo memoria, cum circa aliquid sensile versetur, facultas sentiens est. Accedit his, quod facultas cognoscendi, quae hominai cum belluis communis est, non nisi sentiens esse quit. Atqui bellua memoria pollere colligitur ex iis, quae ipsae agunt. ¶ Habent, s. Augustinus ait, memoriam et pecora, et aves, alioquin non cubilia, nidosque repeterent, non alia multa, quibus assuescant; neque enim assuescere valerent ullis rebus, nisi per memoriam³. Memoria igitur est facultas sentiens.

92. Diximus in Prop., prout est quaedam specialis facultas, nam etiam ad intellectum memoria pertinet, sed, ut suo loco explicabimus, dumtaxat veluti quaedam eius operatio, non vero prout quaedam specialis facultas intellectiva.

93. Ut autem actus memoriae exerceatur, tres operationes di-

¹ Qq. disp., *De Ver.*, q. XIV, a. 1 ad 9.

² I, q. LXXVIII, a. 4 c. — ³ Confess., lib. X, c. 17.

versarum facultatum praecedere ei debent, scilicet operations sensus communis, qui species rei, cum primo anima illam apprehendit, in se excipit; phantasiae, quae ex illa specie phantasma efformat, et conservat; ac aestimativa, quae imaginem rei antea apprehensae in phantasmate deprehendit, siquidem anima cognoscere non potest phantasma, prout imago huius rei, et non alterius est, nisi similitudinem eius cum ipsa recognoscatur, hanc autem similitudinem non nisi aestimativa subsidio cognoscere potest¹. Insuper, cum memoria sit facultas sentiens, ac proinde sine organo corporis exerceri nequeat, illud etiam ad eius actum expostulatur, in organo corporis, per quod anima vim suam memorandi exercet, aliquod vestigium rei produci, cum res pri-
mum percipitur².

94. Ad explicandum progrediamur ea, quae ad reminiscentiam spectant.

Aliquando rem antea perceptam cognoscere non possumus; aliquando vero aliquam eius partem agnoscimus, et ex hac integrum praeteritiae cognitionis recordationem exsuscitare nitimus. Si prius fit, *oblivisci* rei antea perceptae; sin posterius, *reminisci* dicimus. Hinc s. Thomas *reminiscentiam* definivit, et explicuit hunc in modum: « Reminiscentia nil aliud est, quam inquisitio alicuius, quod memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamus, idest inquirimus id, quod consequenter est ab aliquo priori, quod in memoria tenemus, puta si quaerit memorari id, quod fecit ante quatuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud, tertia die aliud, et sic secundum consequentiam motuum assuetorum pervenit resolvendo in id, quod fecit quarta die³ ».

¹ I, q. LXXVIII, a. 4 c. — ² *De Mem. et Rem.*, lect. I, et III.

³ *Ibid.*, lect. V. Praeter seriem temporum, etiam similitudinem, oppositionem, et propinquitatem sive loci, sive temporis, sive alterius generis sanctus Doctor enumerat veluti principia, que ordinem ostendunt inter illud, cuius recordamur, atque illud, cuius reminisci volumus. Subdit enim: « Quandoque quidem ratione similitudinis, sicut quando aliquis memoratur de Socrate, et per hoc occurrit ei Plato, qui est ei similis in sapientia; quandoque vero ratione contrarietas, sicut si aliquis memoratur Hectoris, et per hoc occurrit ei Achilles; quandoque vero ratione propinquitatis cuiuscumque, sicut cum aliquis memor est patris, et per hoc occurrit ei filius. Et eadem ratio est de quecumque alia propinquitate vel societas, vel loci, vel temporis; et propter hoc sit reminiscentia, quia motus horum se invicem consequuntur »; *ibid.* Huiusmodi principia a re-

95. Ex his colligitur in reminiscentia quamdam existere ratiocinationem, quippe quod ex aliqua parte cognitionis praeteritiae agnita ad reliquias exsuscitandas progreditur. Haec autem ratiocinatio imperfecta est, quia ipsa non, ut verus syllogismus, progreditur ex principiis ad conclusiones, sed ex quibusdam particularibus, quorum anima recordatur, ad aliorum recordationem.

96. Illud autem contra Stewartium⁴ advertendum est, ratiocinationem, quam reminiscentia complectitur, non efficere, ut ipsa diversae naturae sit, ac memoria, sed tantum ut sit quedam dos, quae memoriam perficit, eaque belluina praestantiorum reddit. Re quidem vera, sicut cogitativa propter virtutem comparativam, qua, ob coniunctionem sui cum ratione, pollet, excellentior est aestimativa, quae bellus inest; non tamen facultas diversa ab ea est; ita reminiscentia excellit memoriae belluarum, sed eiusdem naturae, ac in ipsis, est⁵.

CAPVT IV.

De facultate intelligendi

ART. I. *Cuiusnam naturae sit intellectus, et quanam ratione res ad ipsum referantur*

97. Intellectus est illa facultas, cuius est apprehendere res, prout sunt immateriales. Quapropter in cognitione intellectiva secus accidit, ac in cognitione sensitiva, siquidem in hac, etsi species, per quam obiectum percipitur, sit immaterialis, tamen ipsum obiectum a specie repraesentatum est aliquid materiale; in illa autem per aliquid, quod non est materiale, repraesentatur res, prout non est materialis. Iam res, prout ad intellectum referuntur, dicuntur *intelligibles*; hinc ratio intelligibilitatis rerum in immaterialitate fundatur.

98. Haec, quae asseruimus, ex sequentium duarum propositionum demonstratione plane conficiuntur:

Prop. 1^a. *Intellectus est facultas inorganica.*

centibus *leges associationis idearum* appellantur, propterea quod ea diversos modos denotant, quibus ideae in mente coniunguntur.

⁴ *Philos. de l'esprit hum.*, part. 2, c. 6, sect. I.

⁵ Cf B. Alb. M., *De Hom.*, q. XLIX, a. 2, et s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 4 ad 3.